Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nocte sperauit anima mea in dominum. Ergo intelligendum est ne putemus uno die nobis
sperandum esse in dominum. a uigilia matutina usque ad noctem. Quid ergo putatis fratres?
Hoc est a uigilia matutina usque ad noctem sperauit in dominum. quia dominus per quem nobis dimissa sunt
peccata. in uigilia matutina resurrexit a mortuis. ut hoc speremus in nobis futurum.
quod precessit in domino. Iam enim peccata nostra dimissa sunt. sed nondum resurreximus. Si nondum re-
surreximus. nondum in nobis factum est quod precessit in capite nostro. Quid precessit in capite nostro?
Quia et caro ipsius capitis resurrexit. Spiritus illius capitis numquid mortuus est? Sed quod in
eo mortuum est. resurrexit tercia die. Et quodammodo hoc in nobis dixit dominus. quod in me
uidistis sperate in uobis. id est quia erit resurrectio. resurgetis et uos. Sed sunt qui dicant.
Ecce resurrexit dominus. numquid propterea sperandum est et me posse resurgere? Utique propterea.
In hoc enim resurrexit dominus. quod a te accepit. Non enim resurgeret. nisi mortuus esset.
Non enim mortuus esset. nisi carnem portaret. Quid accepit a te dominus? Carnem. Quis uenit
ipse? Uerbum dei quod erat ante omnia. per quem facta sunt omnia. Sed ut acciperet abs te a-
liquid. uerbum caro factum est et habitauit in nobis. Accepit abs te quod offerret pro
te. quomodo accipit sacerdos a te quod pro te offerat. quando uis placare deum pro pecca-
tis tuis. Iam factum est. ita factum est. Sacerdos noster a nobis accepit. quod pro nobis offerret.
Accepit enim a nobis carnem. in ipsa carne uictima factus est. holocaustum factus est. sacrifi-
cium factus est. In resurrectione innouauit illud quod occisum est. et tanquam primicias
tuas dedit deo et ait tibi. Consecrata sunt iam omnia tua. quando tales primicie de te da-
te sunt deo. Spera ergo et in te futurum. quod precessit in primiciis tuis. Ergo ille quia a uigi-
lia matutina resurrexit. cepit anima nostra ex hoc sperare. Et quousque? Usque in noc-
tem. quousque moriamur. Omnis enim mors nostra carnalis. quidam somnus est. Cepisti sperare
ex quo resurrexit dominus. noli deficere sperare quousque exeas ab hac uita. Nam si non usque
ad noctem sperauis. delebitur totum quod speraueras. Sunt enim homines qui incipiunt spe-
rare. sed non perseuerant usque ad noctem. Incipiunt pati tribulationes aliquas. incipiunt
pati temptationes. uident homines malos et iniquos felicitate temporali pollere.
et quomodo talia sperabant de domino ut hic essent felices. adtendunt eos qui scelera fecerunt
habere quod ipsi habere desiderabant. et deficiunt pedes eorum et desinunt sperare.
Quare? Quia non a uigilia matutina ceperunt sperare. Quid est hoc? Non hoc ce-
perunt sperare de domino. quod precessit in domino ab illa uigilia matutina. Sed sperabant de
domino ut si essent christiani. haberent plenam domum frumento. uino. oleo. argento. auro.
nullus eorum moreretur inmaturus. Si quis non haberet filios. acciperet. Si uxorem non dux-
isset. duceret. Non aborciret non solum aliqua mulier in domo eius. sed nec pecus eius.
Non acescerent cuppe eius. non grandinaretur uinea eius. Qui sic sperabat in domino animum
aduertit his rebus habundare eos qui non colunt deum. et defecerunt pedes eius. et non
sperauit usque ad noctem. quia non cepit a uigilia matutina. Quis ergo sic incipit a uigi-